INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXII 1862

A DIE XXVIII. M. APRILIS VSQVE AD DIEM XV. M. AVGVSTI


PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk
De locis quibusdam in comoediis Plautinis

HALAE

FORMIS HENDELIIS.



VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

IVSTVS LVDOVICVS IACOBI

CVM SENATV

S. D.

C I V I B V S   S V I S.

Shakespearium poetarum omnium, si ab Homeri divino ingenio discesseris, facile principem homines docti apud Britannos, cum in popularis sui fabulis insignem iuris civilis prudentiam deprehendissent, aliquamdiu publico scribae munere functum esse suspicati sunt. Quod si eiusmodi argumento ad rem, quae testium auctoritate prorsus caret, comprobandam uti liceat, eandem coniecturam fortasse probabilius de Plauto facere possis, qui ut Britanno poetae multum cedit, habet tamen quandam ingenii similitudinem fuitque illi praeter alios exemplo. Sed quamvis in Plautinis fabulis multa reperiantur, quae ad leges et ius civile et antiquitatis instituta spectant, non tamen hoc argumento ad istam suspicionem muniendam abuti decet: ea enim tunc gentis Romanae erat vita, ut etiam ii, qui a re publica gerenda et a forensibus negotiis procul abessent, tamen patria instituta, leges, iuris civilis consuetudinem satis tenerent. Itaque etiam qui nunc criticam artem in Plautinis comoediis factitare vel praestantissima haec latini sermonis monumenta interpretari suscipiat, harum rerum non plane ignarum esse oportet, quamquam sane iurisconsultorum est accuratius haec perscrutari et examinare.

Multum ac diu me tenuit locus in Plauti Menaechmis, qui legitur IV. 2. v. 578, ubi Menaechmus graviter conqueritur, quod patroni clientium causa plurimos labores in se suscipere cogantur. Adscribam autem hunc locum non quemadmodum nostra aetate homines docti correxerunt, sed ita ut codex Vaticanus (B) exhibet, librariorum diligentia, qui antiquum aliquod exemplum religiose descripserunt, maxime commendabilis:

Qui neque leges neque aequum bonum usquam colunt
Sollicitos patronos habent.
Datum denegant quod datum est . litium pleni rapaces viri fraudulenti.
                aut
Quia ut fenorea periuriis habent rem paratam . mensē in quo re
Lis viris ubi dicitur dies simul patronis dicitur.
Quippe qui pro illis loquantur quae male fecerint.
Aut ad populum aut in iure aut ad iudicem res est.
Sicut me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit . neque quod volui
                                                          ti
Agere qui cum licitum est . ita me attinuit ita denuit.
Apud aediles proeliis factis plurimisque pessimisque dixi causam . conditiones tetulì tortas
                                                                                confragosas

Aut plus aut minus quam opus erat multo dixeram controversiam
Vt sponsio fieret. PE. Quid ille? qui praedā dedit.
ME. Nec magis manufestum ego hominem unquam ullum teneri vidi.
Omnibus malefactis testes tres aderant acerrimi.

Multis hic locus difficultatibus laborat; nam et numeri versuum saepius sunt perturbati vel incerti, nec oratio satis recte usquequaque procedit, neque satis planum est, quid potissimum Menaechmus importuno clienti vitio vertat, quamquam totius soliloquii institutum et consilium haud est obscurum. Praecipuam corruptelam delitescere in v. 592 apparet, nam *controversiam* nullo pacto cum praegresso vocabulo *dixeram* licet coniungere, neque magis convenit cum iis, quae subsequuntur: labem autem hanc iam antiquitus esse contractam codicum consensus ostendit, nam etiam Ambrosianus liber eadem exhibet. Itaque Ritschelius, cum iam priores, ut inveteratum malum expugnarent, varia sed frustra tentavissent, scripsit:

Plus minus, quam opus fuerat dicto, dixeram, ut eam sponsio
Controversiam finiret . quid ille? quid? praedem dedit.

Speciosa haec coniectura sane cum totius loci instituto bene videtur conspirare, siquidem Menaechmus auctor est, ut sponsione facta lis dirimatur,[1] verum tamen vel traiectio illa verborum non satis probabilis est.

Leniorem medicinam nuper sibi visus est reperisse Joh. Vahlen Vindobonensis, qui in Mus. Rhen. XVI. p. 633 locum hunc ita conformavit:

Plus minus, quam opus fuerat dicto dixi, eam controversiam
Ut ne sponsio differret[2]) . quid ille? quid? praedem dedit.

quemadmodum iam Bothius *duxeram controversiam ut ne sponsio fieret* legendum esse suasit. Sed et ipsa coniectura prava est, et vir doctissimus, cum hanc suam coniecturam tueri conatur, parum cavisse videtur. Existimat enim actorem sponsione adversarium provocavisse, Menaechmum autem, qui clientis causam agebat, operam dedisse ne sponsio fieret: nihilominus illum contempto patroni consilio petitori praedes dedisse. Qui Plautinis fabulis operam dare velit, eum iuris civilis non plane imperitum esse oportet, sed quae de hoc loco disputata sunt, ea non solum ipsa sibi adversantur, sed etiam pugnant cum Romanorum institutis ac moribus. Dicit Vahlenus Menaechmum nolle ex sponso agi, quoniam rem proferri nolit: at Vahlenus non animadvertit, quid inter sponsionem voluntariam et necessariam intersit: quae de sponsionis periculis dicit, ea omnia ad necessariam sponsionem spectant: Plautinum autem locum ad voluntariam sponsionem referendum esse manifestum est: nam si sponsionem fieri oportebat, prudenter egit Menaechmi cliens, si sponsionem non recusavit, patronusque, si diem dissuadendo contrivit, ipse, neque vero is cui aderat obiurgandus erat: sin ipsis magistratu non iubente litem sponsione componere placuit, ista quidem sponsio haudquaquam remoram faciebat, nam si qui sponsione contendebant, is qui sponsione vicit, etiam eius rei, de qua agebatur, causam obtinuit omnisque controversia peracta fuit. Quare Ritschelius rei satis convenienter scripsit: *ut eam sponsio controversiam finiret,* quamquam eum postea huius consilii poenituit, ita ut in Bothii sententiam discederet ac negantem particulam adderet, id quod etiam Vahlenum in hunc errorem induxit. Deinde Vahlenus neglexit discrimen, quod inter sponsionem praeiudicialem et poenalem intercedit: namque illa sponsione facta etiam si quis causa cecidisset, non tamen summa sponsionis exigebatur, id quod Gajus IV. 94 ostendit. Denique Vahlenus quae in iure et quae in iudicio aguntur confudit: existimavit enim, ut

---

[1]) In editione minore, quam non vidi, Ritschelius ex parte sententiam suam retractavisse et *dixeram ut ne sponsio controversiam finiret* scripsisse perhibetur, quod cur improbandum sit, paulo post ostendam.

[2]) Vahlenus *diferret* scripsit, sive casu, sive ut antiquitatis specie suam coniecturam commendaret.

videtur, haec, quae Plautus attigit, apud iudicem fieri, ut si cliens patroni obtemperavisset consilio, omnis lis potuisset perimi, ut iam nullum amplius inde negotium patrono exoriretur. At Casinae Plautinae locus (III. 3.), quem cum hoc componit Vahlenus, plane est dispar: ibi res in iudicio agitur: Stalino, qui cognato alicui praeter animi sui sententiam fuerat advocatus, moram sibi occupato factam esse indigne fert, sed tamen hac re se solatur, quod litem perdiderit ille, qui tam intempestive sibi negotium facessiverit. Hic vero apud aediles res agitur, et Menaechmus potissimum id indignatur, quod cliens spreverit callida consilia, quae ipse ei suppeditaverat. [3])

Hunc igitur Menaechmorum locum parum recte intellexit Vahlenus: neque enim curavit verba gravissima, quae supra leguntur: *condiciones tetuli tortas confragosas*, [4]) quae satis superque docent Menaechmum haudquaquam nolle rem per sponsionem agi: homo enim versutus callide actorem sponsionis tendiculis circumretire conatur, ut ipsius cliens per illud, quod dici solet, *sive nive* se possit expedire: ille vero magna confidentia elatus iurisque calumniis spretis non vult sponsione contendere, sed lege agi.

Unus O. E. Hartmannus, collega clarissimus, in libro de ordine iudiciorum I. p. 106, ubi hunc ipsum Plauti locum adhibuit, haec verissime explanavit, [5]) ibidemque (p. 89 seqq. et p. 109) ostendit, Romanos inde ab antiquissimo tempore ex aequo bonoque lites componere eaque de re magistratus adire solitos esse, inprimis autem tribunos, postea aediles controversiis plebeiorum dirimendis operam dedisse. Haec igitur si sequimur, statuendum est petitorem et eum unde petebatur apud aediles inter se transigere: Menaechmum, quem cliens advocatum adhibuerat, auctorem esse, ut ex sponso agant: sed clientem denique sacramento, quam

---

[3]) Non est meum aliorum errores exagitare, sed importunum reprehensionis munus illis, qui gloriolam ex aliorum detrectatione quaerunt, lubenter relinquo, neque tamen semper licet, quae ab aliis minus recte tractata sunt, silentio praetermittere, ne illorum erroribus alii decipiantur. Adscribo autem quae Vahlenus de hac re disputavit: „Der Beklagte hat die von dem Kläger proponirte *sponsio* acceptirt. Menaechmus, der von der Schuld seines Clienten überzeugt ist, staunt über diese Verwegenheit . . . . Ihm war es offenbar darum zu thun, nicht dass eine Sponsio, sondern vielmehr dass keine zu Stande käme. Daher Bothe Recht hatte *ut ne* sp. f. zu schreiben . . . . Ferner kann *controversiam* nicht zu dem vorhergehenden Satze gezogen werden . . . Gehört dieser Accusativ aber zum Folgenden, so kann *fieret* nicht richtig sein, wofür Ritschel *finiret* schrieb . . . Aber dagegen sprechen zwei Gründe. Erstlich war die sponsio nach Römischem Recht nicht der Abschluss des Processes, sondern eher eine Vertagung, indem nach Annahme derselben die weitere Processverhandlung sich zunächst auf diese bezog, und den Beklagten einer doppelten Gefahr aussetzte, den Process sammt der spondierten Summe zu verlieren. Sodann, wäre die Sponsio der wirkliche Abschluss des Processes gewesen, so hätte Menaechmus kein Interesse gehabt, seinerseits ihr Zustandekommen nicht zu wünschen. Es würde wie in ähnlichem Falle der Patron in der Casina III, 3 selbst gegen die sofortige Verurtheilung seines Clienten nichts einzuwenden gehabt haben. Eine sponsio perhorrescirte er offenbar darum, weil der damit nur hinausgeschobene Process ihm als Patron noch einmal die widerwärtige und zeitraubende Pflicht des Beistandes aufhalsen würde."

[4]) Pro *tetuli* Ambrosianus et Bb *detuli* praebent, quod non solum metro adversatur, sed etiam minus aptum est: nam quamvis *condicionem deferre, condicione delata* dicatur, tamen tum demum dici solet, ubi condicionem, quam quis fert, alter accipit et probat. Huic loco convenit *ferre condiciones,* quae solennis est locutio, vide exempla ab Hartmanno de ordine iudic. collecta p. 106, atque etiam alliteratio hanc lectionem commendat, itaque iam ipse improbo, quod aliquando conieci: *retuli*, ut postquam petitor tulerat condiciones, rei patronus item pro sua parte condiciones tulisse diceretur, ut est ap. Plaut. Rud. IV. 3. 101: „TP. Equid condicionis audes ferre. GR. Iam dudum fero . . . TP. Mane dum refero condicionem."

[5]) „Dem Gegner einen unbillig erscheinenden Vergleichsvorschlag auch nur zu stellen ... war nicht minder gefährlich, als einen billig erscheinenden auch nur von sich abzuweisen, und wenn die Kunst des erfahrenen Fürsprechen darin glänzte, dass er die eigene Partei sorgfältig vor einer jeden *invidia* zu behüten wusste, aber den Gegner mit wohlgewählten Conditionen in die Enge trieb, so mochte es schon zu Plautus Zeiten manchen Spitzfindler geben, welcher die schlechte Sache seines einer sicheren Ueberführung entgegengehenden Clienten durch die verwickelten und überfeinen Conditionen zu retten suchte, welche er dem Gegner anbot, und ausser sich gerieth, *wenn nun gar der eigene Client statt auf die vorgeschlagene sponsio einzugehen hartköpfig seinen praes für den strengen Process bestellte.*"

sponsione contendere malle: atque hoc ipsum aegerrime fert Menaechmus, quod ille temere manifestum legis actionis periculum subire ausus sit, cum per sponsionis calumnias facilius elabi sibi licuisset, ac iure conqueritur frustra se operam clienti dedisse diemque sibi corruptum esse. Ad legis actionem igitur spectat commemoratio praedis, quem se daturum iste professus erat,[6]) vid. Gaii instit. IV. 16: *„Praetor . . . cum iubebat praedes adversario dare litis et vindiciarum, id est rei et fructuum: alios autem praedes ipse Praetor ab utroque accipiebat sacramenti, quod in publicum cedebat."* Adde ibid. IV. 13: *„nam qui victus erat, summam sacramenti postulabat poenae nomine, eaque in publicum cedebat praedesque eo nomine praetori dabantur."*

Iam ipsa verba labem manifestam contraxerunt, sed certo uti remedio difficile est: ipse postquam plura tentavi, promo, quae maxime verisimilia videntur, sed ea verecundia, qua decet in eiusmodi locis uti. In cod. B legitur: *Aut plus aut minus quam opus erat multo dixeram controversiam Ut sponsio fieret. PE. Quid ille? qui praedā dedit."* ubi librarius Menaechmi soliloquium temere Peniculi verbis interpellari existimavit: neque variant reliqui libri, nisi quod Da *aut sponsio* exhibet, ex palimpsesto Ambrosiano Ritschelius haec notavit: FUER . . DIS . ODIXERAM CONTROVERSIAM UT (vel UTI) || SPONSIO FIERET . . . ILLE QUI PRAEDEM. Geminum illud *aut* alienum esse ab huius loci instituto apparet, sed quod Pylade auctore *plus minus* emendaverunt, non est verisimile, scribendum potius: *ut plus aut minus*, quod ad librorum lectionem proxime accedit. Deinde Ritschelius ex Ambrosiani libri vestigiis *dicto* restituit, cum id quod ceteri libri praebent *multo* ferri nequeat: neque tamen palimpsesti codicis ea est auctoritas, ut omnino posthabendus sit Palatinus et qui illum sequuntur, praesertim cum hic ipsius palimpsesti lectio satis sit incerta, itaque nescio an *multus dixeram* scribendum sit, quod non sine cavillatione[7]) dictum est: nam cum plurima faceret verba, ut alteri negotium facesseret, ipse sibi videtur odiosus et molestus fuisse: comparari licet quod Cicero scripsit de Orat. II. 4: „Nam qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur aut se ostentat aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus esse dicitur." item ibid. II. 88: „Ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim." plane quemadmodum est apud Aeschinem de falsa leg. 41: *πολὺς ἦν ἐν τοῖς ἐπαίνοις καὶ ἐπαχθής*, atque eodem modo iam tueri licet quod supra in hac ipsa Menaechmorum fabula v. 316 legitur:

Heu hercle hominem (homonem) multum et odiosum mihi.

Neque quod hoc loco *multus* cum *dicendi* vocabulo copulatur offendit, certe non plane dispar est, quod Herodotus VII. 158 scripsit: *Γέλων δὲ πολλὸς ἐνέκειτο λέγων τοιάδε.*

Contumax autem illud *controversiae* vocabulum, quod non minus iustis versuum numeris, quam orationis perpetuitati infestum est, plane de medio tollendum esse censeo: sublato enim hoc additamento continuo omnes difficultates evanescunt:

'Ut plus aut minús quam opus fuerat múltus dixeram, ut
Spónsio fieret, quid ille? quíd? praedem dedit.[8])

Neque enim haec ad septenarios revocanda sunt, sed singuli versus ex binis colis, tetrapo-

---

[6]) Nihil enim aliud quam professionem indicant illa: *quid ille? quid? praedem dedit.*

[7]) Hoc cavillandi studium etiam cernitur eo, quod dicit se *plus aut minus quam opus fuerit dixisse:* satis fuit, si *plus quam opus fuerat dixit*, sed ridiculi causa addidit *aut minus*, ut solent comici poetae, quem morem infra attingam. Ceterum antiquo tempore modesti erat hominis non multa verba facere in iure.

[8]) Aliquando suspicatus sum non geminandum esse *quid* (altero enim loco libri *qui* exhibent), sed potius scribendum: *Quid ille? praevidem dedit*, ut Plautus principali vocabuli forma usus sit.

dia acat. et tripodia cat. constant, quos veteres magistri tetrametros brachycatalectos vocant, plane ut est in hoc ipso cantico v. 586:

Quippe qui pro illis loquantur, quae male fecerint.

et in Menaechmis infra v. 977:

Propterea bonum esse certumst potius quam malum.

eundemque numerum iam olim in Iphigeniae Ennianae cantico revocavi (cf. quae in Jahnii Annal. 1861. IX. p. 630 monui). Solet autem Plautus in maxima numerorum varietate lubenter binos versus eiusdem generis coniungere, atque vel propterea probabile est eam speciem, quam secundus versus exhibet, etiam priori esse restituendam.

Neque obscurum est, quae origo sit importuni additamenti. Cum proximo priore versu poeta *Dixi causam, condiciones tetuli tortas confragosas* scripsisset, ut difficiles, ambiguas, periculi plenas condiciones significaret, aliquis ut vocem *confragosas* explicaret, haud inepte *controversas* addidit: sed deinde hoc interpretamentum in inferiorem versum, qui commode vacuum praebebat spatium, delatum est, atque iam grammaticus aliquis, ut accomodaret reliquae orationi, *controversiam* scripsit, quae interpolatio in promtu fuit, quandoquidem adolescentuli in rhetorum ludis controversias dicere solebant. Atque cum haec interpolatio omnes codices teneat, id ipsum satis indicio est, iam antiquitus in Plautinis libris haud pauca declarandi gratia addita fuisse, quae interpretamenta cum postea saepe alienum locum occuparent, malum latius serpsit, praesertim cum grammatici emendandi officio leviter perfuncti eiusmodi errores non tam tollerent quam interpolando obscurarent: ita fit, ut libri, quibus nos utimur, cum magis magisque degeneraverint et erroris causa multiplicata sit, plurimis ac foedissimis vitiis abundent: sed inprimis in cantica Plautina eiusmodi errores se insinuaverunt: nam cum hic sermo paulo sit elatior et a vulgaris vitae usu recedat, haud pauca ad orationem explendam vel sententiam interpretandam adscripta sunt, et quo magis numerorum insignis ars ac varietas latebat, eo facilius vel manifesta additamenta tolerabantur: ita fit, ut iusta versuum ratione perspecta saepe etiam eiusmodi errores certis indiciis coarguere liceat.

Velut in Pseudulo v. 209: *CA. Taceo. PS. At taceas malo multo quam tacere te dicas. BA. Tu autem Xystylis* et quae sequuntur, nuper in Philologo XVII. 40 ostendi in archetypo fuisse: *te autumes* (te dicas supra scriptum), rarioris vocabuli interpretatione supra versum addita: deinde ut fieri solet, interpretamentum una cum germanis vocabulis propagatum et hoc mendum interpolando callide occultatum est.[9]) In eadem fabula v. 1264: *Neque ibi esse alium alio odio ibi nec molestum*, cum *odio esse* ambiguum videretur, adscriptum est *nec molestum*, quod mendum iam ab aliis est animadversum. Nonnunquam ipsum interpretamentum id vocabulum, cuius declarandi causa adscriptum erat, prorsus exturbavit, velut in Pseudulo v. 1257 *venustates sunt* legitur, ubi Plautus haud dubie *veneres* scripserat. At in eodem Pseuduli cantico delitescit aliud multo gravius mendum, quod satis arguit quam vitiosi sint libri et per quos gradus serpserit corruptela. In cod. B haec leguntur v. 1252:

Profecto edepol ego nunc probe habeo madulsam.
Ita victu excurato ita munditiis digni ah
Itaque in loco festivo sumus festive accepti
Quid opus me multas agere ambages? hoc est
Homini quam ob rem vitam amet.

Miror homines doctos haec tam patienter tulisse, inprimis insolens illud et scabrum: *est homini quam ob rem vitam amet*, quod latinum esse nego. Excidisse hic aliquod vocabulum manifestum est, sed commode licet restituere. Scripserat Plautus:

---

9) Si iam in archetypo extremas litteras vocis *autumes* propemodum evanidas fuisse credimus, facile intelligitur, quam pronus fuerit iste error.

Profécto edepol ego núnc probe
Habeó madulsam: itaque ín loco
Festívo sumus accépti,
Ita víctu excuráto, ita mágnis mundítiis.
Quíd opus est me múltas agere ambáges: hoce est hómini dignum,
Quam ób rem vitam amet.

Erroris originem monstrat Ambrosianus, in hoc enim, quamquam pleraque oblitterata sunt, haec tamen legi poterant:

ITAV DIGN
QVIDOPVSESTMEMVLTASAGEREAMBAGESHOCESTHOMINI

Itaque cum hic versus, qui paginae ultimus est, non caperet novissimum vocabulum *dignum*, illud est supra additum ac deinde temere cum priore versu coaluit. Ceterum iustum versuum ordinem servatum esse in Ambrosiano apparet: sed in codice B et ceteris traiecti sunt duo versus, itaque mendum magis etiam occultatum: offendit autem librarium, quod particula *itaque* orationem inchoat, deinde bis simplex *ita* subsequitur, itaque ille versibus traiectis iustum versuum ordinem restituisse sibi visus est:[10]) deinde vero, quandoquidem vox *dignum* nullo modo cum reliqua oratione conciliari poterat, interpolator ille *digni* scripsit, malum malo curans, prorsus ut in Menaechmis *controversas* in *controversiam* est mutatum. Particula *ah* unde invecta sit incertum, fortasse in proximo versu olim scriptum fuit *cepti*. (ac supra scriptum)[11])
Ceterum ne diverbia quidem, quae senariis aut septenariis constant, ab interpolationibus huius generis libera sunt, sed cum leges horum versuum non plane ignorarentur, accessit hic plerumque correctorum opera, ita ut haud raro malum etiam auctum sit, quod facile criticorum hominum acumen fugit. Defungar uno exemplo: in Menaechmis v. 63 legitur:

Nam rus ut ibat forte ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitque hominem in maximam malam crucem.

Non deerunt, credo, quibus neglecta orationis legitima continuatio valde probabilis videatur, quamquam in hac narrationis tenuitate nihil omnino inest, quod alias eiusmodi licentiam excuset: augetur foeda scabrities eo, quod in apodosi adiectivum solum omisso nomine iteratum est, quod quantopere a latini sermonis usu abhorreat, Ritschelius sensisse videtur: sed quod ex coniectura pronomen *is* inseruit, non magis ferendum est. Equidem corrigo:

Ingressust fluvium rapidum ab urbe haut longule.
Rapidus *raptori fluvius* subduxit pedes.

Scriptum olim fuit in archetypo *rapidus raptori fluvius* (pueri supra scriptum), deinde hoc interpretamento recepto, cum versum laborare animadvertissent, adventicium quam necessarium vocabulum conservare maluerunt.

Sed revertar ad Menaechmorum locum, unde profectus cum: namque etiam ea', quae hos versus antecedunt et quae subsequuntur, vitiorum haud sunt immunia, itaque primum

---

[10]) *Itaque* apud Plautum haud raro usurpatur, ubi simplex *ita* sufficere videtur, ut est in Epidico I, 1. 77: *Tantae in te impendent ruinae, nisi suffulcis fortiter, Non potes subsistere: itaque in te irruunt montes mali.* Adde Persae v. 481, quem locum minus recte tentavit Ritschelius, qui etiam v. 505 et 242 mutavit, de quibus locis ambigere licet. Alia exempla suppeditabit Handius Tursell. III. 508. Quod hoc loco deinde per anaphoram sola vocula *ita* repetitur, rationem habet, quamvis aliud exemplum non noverim. Sed si quis propterea *ita in loco* scribere malit, equidem non adversabor.

[11]) *Habeo madulsam* codices praebent, corrigunt *abeo madulsa*, de qua coniectura dixi in Jahnii Annal. 1860. VI. p. 382. Deinde *festive*, quamvis cum consuetudine Plautina congruat, ab aliena manu additum esse numeri lex coarguit. V. 4 *magnis*, quod in B omissum est, servaverunt CD. V. 6 *amet* libri ut videtur omnes, Ritschelius tacite et ut opinor invitus *agat* scripsit.

omnem locum, quemadmodum mihi emendandus esse videtur, subiiciam, tum vero ea, quae novavi, paucis illustrabo ac muniam:

Quí neque legés neque aequúm bonum usquám colunt;
Sollícitos patrónos habént: denegánt quod datúmst, litium pléni,
Rapáces, virí fraudulénti,
Qui aút fenore aut periúriis
Habént rem parátam, penseí ninquolám rem.
Hís viris ubi dícitur dies,
Simúl patronis dícitur,
Quíppe qui pro illís loquantur, quáe male fecerint.
Aut ád populum aut ín iure aut ád iudicém rest.
Sícut me hodie nímis sollicitum quídam habuit cliéns, neque
Quód volui agere, aut quícum licitum est: íta me attinuit, íta detinuit.
'Apud aedíles pro éius factis plúrumisque péssumisque
Díxi causam: cóndiciones tétuli tortas cónfragosas.
'Ut plus aut minús quam opus fuerat, múltus dixeram, ut
Spónsio fierét, quid ille? quíd? praedem dedit.
Néc magis manuféstum ego hominem únquam ullum tenéri vidi:
'Omnibus malefáctis testes trés aderant acérrumi.

V. 579 et qui sequuntur Hermannus sic descripsit, ut primores essent trimetri bacchiaci catalecti, atque secutus est hoc etiam Ritschelius:

Sollícitos patrónos habént:
Datúm denegánt, quod datúmst.
Lítium pleni, rapaces,
Virí fraudulénti.

Nuper autem Andreas Spengel in commentatione, quam *de versuum creticorum usu* apud Plautum scripsit, p. 13 negavit insolens hoc et satis asperum numerorum genus in hoc poeta admittendum esse. Iuvenis doctus diligentem canticis Plautinis navavit operam, maxime eo nomine laudandus, quod neque ut mancipiorum vulgus se alieno imperio ac legibus addixit, nec vero temere omni modestia ac pudore abiecto plane pro lubidine grassatur, sed arte ac ratione usus leges, quas Plautus in versibus conformandis secutus sit, sedulo indagare studuit, ita ut quantum fieri potest librorum fidem religiose tueretur. Sed cum quid huius poetae usui conveniat, quidve discrepet, probabilibus momentis exstimat, nonnunquam paulo cupidius iudicavit, velut negat omnino fieri potuisse, ut Plautus versus Sotadeos in canticis adhibuerit, specioso magis quam vero usus argumento, quod isti versus melodiae omnino fuerint expertes. Illud constat, poemata Sotadis et reliquorum, qui eius sectam sequebantur, recitata esse, sed videtur Sotades hoc primus novavisse, nam principio ionici numeri, qui *ἀπὸ μείζονος* vocantur, haud dubie canentibus erant accommodati, idque etiam postea Cleomachus,[12]) Lysis, Simus tenuerunt: atque melicos numeros agnoscimus etiam in Lycophronidis [13]) versibus ap. Athen. XIII. 564. A, ubi cum logaoedis consociantur ionici:

Οὔτε παιδὸς ἄρρενος οὔτε παρθένων
Τῶν χρυσοφόρων οὔτε γυναικῶν βαθυκόλπων
Καλὸν τὸ πρόσωπον, ἂν μὴ κόσμιον πεφύκῃ.[14])
Ἡ γὰρ αἰδὼς ἄνθος ἐπισπείρει.

---

[12]) Cleomachi nomen restituendum est apud Atilium Fortunat. p. 345: (Ionicum) tetrametrum acatalectum, quod apud Maecenatem invenitur, ex duobus colis coniunctum:

Uvas nitidis frondibus Euhan hederis inligat.

ubi cod. Vat. non *Maecenatem*, sed *Cleomaeum* exhibet, igitur *Cleomachum* legendum esse apparet.

[13]) Lycophronides qua aetate vixerit, non constat: sed cum Clearchus Aristotelis discipulus eius versibus usus sit, aetate Sotadi suppar vel etiam prior fuerit necesse est.

[14]) Scripsi *ἂν μὴ κ. πεφύκῃ*, in libris est *ἀλλὰ κ. πεφύκει*, quod correxit Meinekius, nisi quod

Sane ab atticae comoediae instituto et more Sotadei numeri abhorrent, at vero Plautinorum canticorum longe alia est ratio: nihil his simile Philemonis, Menandri, aliorum poetarum, quorum fabulas interpretatus est, praebebant: neque tamen poeta quamvis ingeniosissimus hoc carminum genus novavit, sed partim tragicorum Latinorum exemplum secutus est plane ad eundem modum, quo Aristophanes graecorum tragicorum canticis uti solet, partim ut mihi quidem persuasum est ad similitudinem cinaedologorum et fortasse carminum popularium, quae ista aetate pervagata erant, conformavit: quae carmina utrum in magnae Graeciae urbibus an Romae commercio Graecorum hominum usus cognoverit, in medio relinquo, quamquam illud verisimilius esse arbitror. Ab indole autem Plautinae comoediae Ionici versus minime abhorrent, sed Hermannus hos numeros quo iure aliquot locis restituerit, hac de re sane ambigere licet. Illuc revertar.

Quod Spengelius bacchiacos versus catalecticos propter asperitatem improbat, huic quidem argumento non multum tribuo, siquidem dochmiacus versus et ipse a principio fuit dimeter bacchiacus catalecticus. Sane Spengelius etiam dochmiacos numeros Plauto abiudicat, quos Hermannus primus indagavit, probante Ritschelio: ac profecto dochmiaci numeri vestigia exigua sunt, exempla partim dubia, partim falsa,[15]) non tamen ausim hoc numerorum genus, quod passim convenientissimum est, ex Plautinis fabulis penitus tollere. Itaque hoc argumento liceat nobis uti ad muniendam catalexin reliquorum versuum, qui ad bacchiacum numerum digesti decurrunt. Verum cum identidem examinarem eiusmodi versus catalectos, satis intellexi plerumque admodum dubiam esse fidem horum versuum, quorum Hermannus haud exiguum numerum sibi deprehendisse visus est, quem auxerunt etiam nostra aetate Ritschelius et Fleckeisenus Hermanni exemplum secuti. Neque vero credo hos viros de Plauto emendando meritissimos propterea, quod ipsis magnopere placuerit numerorum insolentia (Graeci certe poetae non videntur hac specie [16]) usi esse) catalectos versus descripsisse, sed saepe accidit, ut cum de restituendo metro numerisque apte partiendis propemodum desperandum esse videretur, ad hanc speciem paene inviti deferrentur: nonunquam vel adversantibus libris omnibus restituerunt catalecticos versus, item admiserunt, ubi in promtu erat alia et commoda versuum descriptio, saepius in locis, quae manifestam labem contraxerunt, hac clausula usi sunt. Si

---

ἐάν scripsit. In locis paribus Sotadeorum dipodiae trochaicae ultimam syllabam subinde longam esse auctor est Aristides Quintil. p. 55: *Τροχαϊκὴν δὲ δέχεται διποδίαν κατὰ μὲν τὴν περιττὴν χώραν καθαράν, κατὰ δὲ τὴν ἄρτιον καὶ ἐπτάσημον*. *Καλόν* videtur Lycophronides producta priore syllaba adhibuisse.

[15]) In Bacchidibus v. 1137 Ritschelius plane delendum censuit. In Menaechmis v. 763: *Repente expetit me ut ad sese irem*, qui videtur dimeter dochmiacus esse, sic potius scribendus est, ut iam alio loco significavi:

Repénte expetit med, ut ád sese adirem.

[16]) Nihil moror Tricham, qui p. 52 etiam catalecticos versus recenset, sed exempla quae profert ipse finxit. Possis sane versus, qualis est in Aeschyli Agamemnone 1041:

'Αγυιᾶτ', 'Απόλλων ἐμός.

pro trimetro bacchiaco, item v. 1062:

Δυοίατον · ἀλκὰ δ' ἑκὰς ἀποστατεῖ.

pro tetrametro habere: sed quoniam in baccheis, qui huius numeri indolem integram servant, non solet longa syllaba in breves solvi, potius existimandum est, baccheos cum dochmiis esse copulatos: nam quamvis dochmiaci numeri origines a baccheis sint repetendae, tamen peculiaris quaedam postea fuit illius numeri ratio, neque videtur varietas ac licentia, qua dochmii sunt insignes, ad baccheos propagata esse, quamvis utraque species saepius consocietur. Neque tamen abutendum est hoc argumento ad latinorum comicorum versus, qui clausula terminari videntur, expediendos: neque enim hi admixtos habent dochmios, sed solis Baccheis constant. Cum in tragoediis Graecorum dochmiaci numeri latissime pateant, iisque passim tantum adiugentur bacchei, contra in comoediis latinis bacchei frequentissimi sunt, neque solum societatem cum aliis numeris ineunt, sed etiam continuantur, cum dochmiorum magna sit paucitas: nec denique solutiones in baccheis fugiunt latini poetae.

ab his discesseris, pauca admodum reliqua sunt exempla, ubi neque incerta sit versuum descriptio, neque ipse sermo vitiosus, sed hic quoque licet ubique facili negotio integrum versum restituere: sin tamen quis tribus his vel quattuor locis clausulam tueri velit, equidem haud adversabor: nam a ratione hanc versus speciem non abhorrere iam supra professus sum, et quemadmodum dies multa docet, fieri potest, ut paucissima haec exempla postmodo aliis multis et certis stabiliantur, illud vero teneo, non esse eiusmodi versus proprio periculo restituendos, neque admittendos, nisi necessitas postulaverit. Iam cum Spengelius attigerit tantum hanc quaestionem, quam mihi hoc canticum redintegranti non licet detrectare, clausulae illius exempla, quotquot in adversariis adnotata habeo,[17]) singillatim examinabo.

Sed propter operarum moras quae de his commentatus sum ad aliam opportunitatem sive necessitatem academicam reservanda sunt.

Scr. die IV m. Januarii.

---

[17]) Quod eas fabulas fere solas adhibui, quas Ritschelius recensuit, non reprehendent, qui sciunt, quantopere idoneis subsidiis destituti simus in ceteris comoediis Plautinis, ut aegre ab errore cavere possimus.